



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Unius Necessarii pars ...**

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

**Rogacci, Benedetto**

**Pragae, 1721**

Cap. XXVIII. Quanto odio, & horrore anima Deum amans affici debeat erga quodvis crimen lethale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

abrodet. At tu infinitæ mansuetudinis DEUS, qui *non vis mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat; per viscera misericordie tuæ, in quibus visitasti nos oriens ex alto, superioris meæ vitæ delictis propitius ignosce, præsentemque hanc voluntatem ea nunquam porrò repetendi immutabili firmitate corrobora, Quod longè optatissimum munus, uti summâ votorum instantiâ ab ineffabili bonitate tua flagito, & flagitare usque pergam; sic ab eadem me omnino impetraturum confido, Amen.*

## CAPUT XXVIII.

Quanto odio, & horrore anima DEUM amans affici debeat erga quodvis peccatum lethale.

**L**le idem DEI amor, qui hominem agit, ut plùs quàm de omni alio malo doleat, quòd ipsum omni alio bono sibi chariorem, graviter læserit; incitamento quoque illi est, ut supra omne aliud malum aversetur, & fugiat quamcunque ipsius gravem offensam, dicens cum Propheta: (Ps. 138.) *Nónne, qui*

oderunt te, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos. Ità planè, *perfecto odio*: adeò ut nullum sit objectum, quod æquè ac peccatum illius hostem horrescat: nulla cloaca, sentina, & putredo, quam perinde abominetur: nulla discriminis, exitiique species, quam sollicitè adeò devitet: nec deliberatissimum solummodo habeat, nunquam illud animo excipere; sed rem huiusmodi, dum ità animatus, affectusque est, portentosam, & factu impossibilem putet: Josephi Patriarchæ castissimi exemplo, qui sollicitus ad peccatum, sollicitari ad actionem se credidit, cuius non modò sibi abesse deberet voluntas, sed vis quoque, & facultas, respondens: (*Genes. c. 39.*) *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in DEUM meum?* Quia profectò amare ex toto corde aliquem, & velle eundem graviter lædere, affectus sunt secum mutuò pugnantes, neque conciliabiles magis, quàm conciliari queat frigefaciendi virtus cum natura ignis. Quapropter, velut ignis poscenti, ut frigefaciat, responderet: *Quomodo possum?* ità, qui DEUM amat super omnia, non modò profitetur, nolle se ullo pacto ipsum graviter lædere; sed neque induci posse existimat, ut taliter ipsum amans  
id

id faciat. Et accedant sanè Diocletiani, Decii, Neronis, ultima quæque suppliciorum intentantes, nisi juratam ipsi fidem abruerint: respondebit quippe: nequidquam contenditis id à me extorquere, quod extra vim, atque efficientiam voluntatis meæ est. Tantundem est comminari mihi mortem, nisi peccem, atque eandem comminari, nisi per auroras volitem, & sermone, quem nunquam didici, loquar. Alia, quæso, justiora, & quibus præstandis obsequi vobis possim, jubete. Hoc enim mihi nedum factu indignum, verum etiam impossibile existimo. *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in DEUM meum?* Qui sensus altè ad eò in mentem B. Catharinæ Genuensis descenderat, ut gravis Dei offensa vocabulum ei videretur rei imaginariæ, quæque fingi potius cogitando posset, quàm revera existere. Unde, etiamsi interdum actiones cerneret palàm nefarias, & gravis flagitii manifestas; haud tamen inducere animum poterat, ut scienter, ac deliberato consilio volitas existimaret: utpote rem suo iudicio incredibilem, & nimium quantum ab homine rationis compote, quique nonnullâ DEI scientiâ imbutus sit, abhorrentem. (*Vit. 6. 28.*) Hæc ergo cum se ita habeant, nequaquam

quam opus mihi est rationes conquirere, quibus te, Lector, ad peccatum toto pectore averfandum, & fugiendum impellam. Si, ut mihi perfuadeo, DEUM intimè amas, hic amor per fe unus tale illius odium in tua voluntate excitabit, ut quasi rem impossibilem arbitraturus sis, monstrum tam execrabile, Deoque tuo tam invisum unquam admittere. Hujus propositionis afferre testes possum gravissimos duos Ecclesiæ Doctores, Chrysofostomum, & Ambrosium. Quorum prior, *de gustata jam virtute*, (& quantò magis charitate, virtutum omnium regina?) id sequi affirmat, ut homini *difficilius sit peccare, quàm à vitio abstinere.* (Hom. 5. ad Antio.) Alter verò super illa sacræ Sponsæ in Canticis verba: *Expoliavi me tunicâ meâ; quomodo induar illâ? Vide, ait, anima DEO devota, quid dicat. Sic actus corporis, & terrenos exuit mores, ut nesciat, quomodo, etiamsi velit, possit rursus induere.* (Lib. de Virgin.) Quin imò ad stipulatorem habeo ipsum quoque Gentium Doctorem Paulum, (Rom. c. 5.) ut se existiment mortuos quidem peccato, viventes autem DEO: quod perinde est, ac se existimare impotes peccandi, faciendique aliquid, nisi ex DEI impulsu: veluti tantundem esset mortuum, esse aliquem corpore,

re,

re, & solo spiritu vivere; quantum non posse ab eo agi, quæ per corpus fiunt, sed ea duntaxat, quæ sunt spiritûs propria. Unde etiam paulò post subjunxit: *Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?*

2. Et verò multæ licèt, validæque rationes suppeditent, quibus ad peccati odium, & fugam incitari possimus; nulla tamen majorem id efficiendi vim habet, quàm verus DEI amor, quem peccando graviter à nobis offendi, & ex amico, inimicum nobis fieri, certissima fide tenemus. Quocirca errari ab iis plurimùm censeo, qui solo avernalium cruciatuum terrore ad peccandi libertatem cohibendam utuntur: existimantes, argumenta charitatis divinæ splendida potiùs esse, quàm efficacia continendæ in officio multitudinis: consultiùsque esse, ubi cum vulgo, & rudiori hominum genere agitur, rationes adhibere ab objectis sensibilibus ductas, quæ & magnam vim deterrendi intelligentes habeant, & facilè à quolibet iis animum advertente intelligi queant, cujusmodi sunt æternæ peccantium apud inferos pœnæ. Plurimùm illi, inquam, iudicio meo errant: tum quia, re in universum, & generatim perpensa, videtur boni amor ad animos impellendos timore

mali efficacior; tum quia, etsi minus id verum, de quorumvis bonorum amore, præ quorumvis malorum timore esset; verissimū tamen est, si DEI amor cum averni comparetur timore.

3. Ut ergo à majori amoris, quàm timoris efficacitate ordiar, non aspernabile duci posse argumentum videtur ex diversa duorū horum affectuum, unius grati, & jucundi, alterius verò molesti, & insuavis natura. Fieri quippe non potest, quin pro hac eorum diversitate diverso itè modo comparatus erga illos noster animus sit: comparatus nempe ad priorem libenter suscipiendum, fovendūque in se ipso; alterum verò, quoad potest, arcendum, vel saltè illius vim infirmendam: & consequenter, quin primus, quò voluntati est acceptior, tantò in ea & facilius producat, & plus virium obtineat. Præterea dubitari non potest, quin ex proprio instinctu agere, uti agit, qui ab amore boni impellitur, res sit quàm naturæ homini consentanea, tam eidem jucunda; contrà verò extrinsecus motum agere, prout agit, qui timore mali urgetur, violenta, & proinde odiosa res sit. Verissimèque pronuntiatum à Philosopho est, (*L. 1. Magn. Mor. c. 11.*) *Ex neces-*  
si-

*itate aegritudo, ex cupiditate agentes voluptas comitatur.* Quapropter, cum proprium cuiuslibet motus violenti sit, brevi desinere; necessario hinc consequitur, affectum timoris, quamvis in exordio vehementior, validiorque amore esset; suam tamen illam vim non ita diu retinere, quin paulatim remittens, exiguum intra tempus deficiat: consequens probe animadvertum à Cicerone, scribente: (L. 2. de Off.) *Malus custos diuturnitatis metus, contraque benevolentia fidelis est vel ad perpetuitatem.* Nec dissimilis est tertia ratio, peculiaris nimirum difficultas, & repugnantia, quam naturaliter experiri homines solent in agendis iis rebus, ad quas contra suam voluntatem coguntur. Quamobrem plus saepe à subiectis obtinetur amicè suadendo, quam minas, terrorésque intentando, prout lepidè expressum à Plutarcho est: (De Praec. Coni.) per fabulosam Aquilonis, & solis contentionem certantium, utri major vis inesset viatorem spoliandi. Id enim nullo pacto evincere primus potuit, quamvis totum se, suumque spiritum flando exhauriret: viatore nimirum, quanto acrior venti violentia ingruebat, tanto magis laborante pallium corpori apprimere: qui tamen paulò post, solaribus radiis afflatus, tan-



tantum sensim concepit caloris, ut impar ei ulterius ferendo suis ipse manibus non pallium duntaxat, sed & tunicam sibi detraxerit, atque humi projecerit. Jam verò, qui legem amat, de illius vi, atque pœnis minimè cogitat; sed sponte, volensque, & ex libera animi electione eam implet, ac si merum illa esset boni omnino arbitrii consilium: ac perinde non eam intuens, quasi propriæ libertatis nexum, libentiùs, promptiùsque præcepta excipit; quàm qui eandem nequaquam sponte ipsi, amanti que subjectus, videtur supra caput suum cernere, virgâ, & minis armatam, exigentemque, ut quantumvis invitatus obtemperet. Breviter: primus nihil habet causæ, cur iniquo animo operetur, nisi difficultatem injuncti operis propriam; alter præter hanc causam aliam, & validiorem utique habet, coarctationem nimirum libertatis suæ: quæ ut maximopere chara homini est, sic eum aliquando impellit ad legem audacter proculcandam, & quascunque illius pœnas pro minimo habendas, nè vi adactus, & contra voluntatem suam operetur.

4. Sed verum, necne universaliter id sit, parùm refert ad hypothesim meam, in qua statui, etiamsi timor mali validiùs ex genere suo

fuo voluntatem moveret, quàm boni amor; amorē Dei nihilominus plus efficacitatis obtinere ad homines à peccato inhibendos, quàm merus averni timor obtineat. Neque de propositionis hujus veritate dubitare nos finit diversa vivendi ratio, hinc eorum, qui peculiarem divino amori operam navant; indè aliorum, qui minimùm ei studentes, averni consideratione, & terrore imprimis moventur. Cùm utrosque intuendo confestim appareat, quàm & rarum inter primos, & frequens inter alteros sit, graves culpas admittere: quantoque ad rectè vivendum validiùs à divino illi amore, quàm hi ab averni timore impellantur. Licet itaque expressam hic cernere inæqualem eam vim, quam ad præpediendas hominum cædes hinc erga eos amor, indè timor ensis obtinet. Quemadmodum enim plurimos interfici ab iis passim videmus, qui licèt ensē metuant, occisorum tamen amici non fuerant; contra verò vix unquam contingit, ut animum quis inducat, etiam sèmoto discrimine, & metu ensis, necem homini inferre, quem intimo, & diutino amore dilexerit; haud aliter, quàm crebrò DEUS offendi ab iis cernitur, quos nihil à peccando, nisi averni terror coërcet; tam inusitati exem-

empli est, ut ab iis offendatur, qui intimam cum eo conjunctionem professi, validissimū, nè quid tale audeant, retinaculum in amore illius habent.

5. Et princeps, ac potissima commemorati effectūs ratio est, quia, licet quis fidelium indubitanter credat, disertēque fateatur, avernalium æternitatem flammarum tam atrox supplicium esse, ut vitandi ejus causā, quidquid in præsentī vita seu bonorum est, abdicari; seu malorum, eligi, ac perferri debeat; nihilominus, cum id supplicium non à quovis peccantium re ipsa subeatur, subeundi illud timor valde debilitatur, neque omnium voluntatem à criminibus perpetrandis fat retinet: promittente sibi impio, quoties divinam legem transgreditur, non defuturum tempus, quo à præsentī peccato per pœnitentiam emergat, meritāsque inferorum pœnas hoc pacto devitet: prout evenisse multis novit, qui cælesti nunc gloria fruuntur, pluries, dum mortalem vitam agerent, in peccatum lapsi, & nihilominus tam facili, paratōque remedio æternam salutem adepti. Quòd si ità secum ratiocinanti objiciantur mortis pericula, cujus repentino superventu ante meditatam peccati expiationem intercipi potest,

at-

atque ità finè ullo remedio , quod spe temeraria præsumit , in tartarum ruere , uti multis sui similibus accidisse novit ; tales eventus , quòd nulla illius proxima , & sensibilia argumenta se offerant , non eam semper , quæ illi cæteroqui per se inest apud animum impotenti cupiditate , & prava consuetudine præpeditum , cohibendi à peccato vim obtinet : sed plerumque non alio excitato , quàm inefficacis , & evanidi terroris affectu , validioribus bonorum sensibilibus illecebris cedit. Quò fit , ut infelix super cætera quævis mala avernum quidem ipsum , at non pariter ipsius pericula timeat : imò ut neque ipsum propriè loquendo timere dicendus sit , sed tantummodo averfari , & odisse : cùm illum mente quidem concipiat , instar mali longè omnium gravissimi , sed non etiam instar mali è propinquo imminenti. Similis prorsus ( nè ab exemplo suprà allato discedam ) ficario mercede conducto , qui licèt in patrandæ cædis procinctu illo se maleficio ensẽ meriturum haud nesciat , suppliciique illius malum longè antestare pactorum sibi quinquaginta , vel centum aureorum lucro palàm prospiciat , & proinde , si illo affectum se iri post cædem commissam certus foret , nulla ad hanc com-

mit-

mittendam se mercede induci sineret ; quia tamen scit altera ex parte , non omnes homicidas ensi subjici , sed multis contingere , ut latendo , vel fugiendo eum evadant ; facile inducitur à præsentis lucri cupidine , ut idem sibi quoque eventurum speret : nec dubitet se periculo objicere , quod tanquam sibi evitabile animo concipit : eligens ità pro minori bono , sed certo dubiam majoris mali aleam subire.

6. Quæ ratio ut clarior adhuc fiat , observo , inferorum pœnas duplici modo posse ad homines à peccato deterrendos proponi. Primò per argumentationem hujusmodi : Pœnæ illæ malum sunt tam immane , ut terreni nullius seu boni cupiditate , seu mali metu incidendum in eas sit. Sed , quisquis peccat , in eas incidit ; ergo terreni nullius seu boni cupiditate , seu mali metu est peccandum. Cujus argumenti prima propositio à nemine vocari in dubium potest. At secunda universè falsa est , nec nisi de peccantibus in extremo vitæ cardine admitti potest : cùm non nisi tunc perinde sit in peccatum , atque in pœnas æternas incidere. Quare argumentum nihil conficit , præterquam in extremo , ut aiebam , vitæ termino , quo tempore efficacissimam , & omni-

omnino ineluctabilem ad quoslibet sanæ  
mentis homines permovendos vim habet. Al-  
ter proponendi illas modus hic est: infero-  
rum pœnæ malum sunt immane, ut nemo ter-  
reni ullius seu boni, seu mali causâ vel remo-  
tè se objicere earum periculo debeat. At,  
quisquis peccat, illarum se periculo objicit;  
ergo terreni nullius seu boni, seu mali causâ  
est peccandum. Cujus argumenti secunda  
propositio extra omnem controversiam est.  
At prima, etiamsi ab animis probè affectis re-  
pudiari nequeat; minimum tamen fidei inve-  
nit apud homines, vehementi quopiam rerum  
terrenarum affectu occupatos, neque illos co-  
git firmum, atque immobilem conclusioni  
sue assensum præstare. At non ità accidit,  
si quis rationes non peccandi mutuetur à Deo,  
nempe ab ejus offensâ, & inimicitia. Nam  
hujusmodi mala & disjungi à peccato neque-  
unt; & nimium quantum quibuscunque illius  
incitamentis præponderant: adeò ut, quis-  
quis illa probè intelligit, possit hæc omnia  
haud magno negotio repellere: prout fieri  
videmus ab innumeris DEI famulis, qui, nè  
cælestem suum Dominum offendant, illiusque  
ab amicitia excidant, paratissimi sunt quæli-  
bet præsentis vitæ & bona abdicare, & mala  
per-

D d d

per-

perferre : ratiocinantes secum hoc pacto : Dei  
offensa, ejusdemque amicitiae jactura, mala  
sunt tanti ponderis, ut nulla de causa eligen-  
dum sit in ea incidere; sed, quisquis peccat,  
confestim, & necessariò in ea incidit; ergo  
nulla de causa est peccandum. Quæ ratioci-  
natio & legitimo tramite ad conclusionem  
procedit; &, præterquam quòd à nemine  
secundùm ullam propositionem negari, vel  
in controversiam revocari potest; earum pri-  
ma principium continet, quàm efficax ad per-  
movendam voluntatem, si probè intelligatur;  
tam facile intellectu, si attenda consideratio-  
ne expendatur.

7. Atque utinam non funestam nimis, ju-  
xtaque perspicuam, & validam hujusce veri-  
tatis confirmationem suppeditaret nobis Eve  
peccatum indè ortum, prout cuivis confide-  
ranti patebit, quòd ea in divino præcepto ne-  
quaquam præcipientis dignitatem, sed pœnam  
solummodo illud violanti sancitam attende-  
rit. Interrogavit eam callidus serpens: *Cur  
præcepit vobis Dominus, ut non comederetis de omni  
ligno paradisi?* (*Genes. c. 3.*) Quid facilius, quàm  
idoneo responso quæstionem hanc solvere?  
Cur præcepit? Quia supremam in nos pote-  
statem naturâ obtinet: quia ejus voluntas uni-  
ca

ca totius recti norma est: quia vult nobis materiam suppeditare, debitam ipsi supremo universitatis totius Domino obedientiam, & fidelitatem exhibendi. Hæ profectò non obviæ minùs, quàm validæ rationes afferri poterant, sique allatæ fuissent, nihil erat, quod à stygio veteratore ultrà objici posset. Ast Eva omni earum mentione posthabita solam responsi, & rationis locò pœnam affert, subjiciens: *Nè fortè moriamur.* Itane? plaudens, & certus victoriæ secum ait adversarius, nihil hanc à violando præcepto, nisi comminatæ mortis retinet timor? Violabit procul dubio præceptum, vetitum pomum decerpit, gustabit, deglutiet. Atque ità prorsus se res habuit: nam post responsum, *nè fortè moriamur*, facillimè transitus factus est ad credendum, *nequaquam moriemini*: & hoc credere itè penè fuit, ac vetitam dapem comedere. Jam verò quod in prima illa dæmonis tentatione accidit, solenne est in quavis penè alia videre. Suggestat nequam spiritus, vel propria cupiditas alicui: cur abstines ab ista voluptate tui genii palato tam sapida? *Cur non vesceris de omni ligno paradisi?* Si ille respondeat: abstineo, nè DEUM offendam, quod est facinus longè indignissimum, & malum quovis



alio gravius, nullaque de causa patrandum; ratio hæc nulla ex parte non dicam infringi, sed neque impugnari potest, & proinde omnis tentatio victa illico, & compressa obmutescit. At, si nihil ille aliud, præter inferorum pœnas, propositum animo habens, respondeat: *tempero mihi ab hac voluptate, nè alioquin sempiternæ mortis reus fiam, quæ malum est nimium quantum omnia præsentis vitæ oblectamenta excedens: nè forte moriar, audit protinus reponi: Nequaquam, nequaquam morieris.* O te hominem plus æquo meticulosum! quid istud est supervacue formidinis? Posthumos averni cruciatus times, cum in terris adhuc vivas, florenti ætate, firma valetudine, integris viribus corporis? Esto perpetui, maximæque perhorrescendi cruciatus ii sint, quandoquidem Christiana Religio id nobis credendum proponit. Sed æne eadem credendum quoque nobis proponit: omnes, qui peccant, iis æternum torqueri? An potius palam, disertèque testatur, fas homini esse, post quemcunque criminum numerum unico interioris pœnitentiæ actu illos prorsus evadere? Quot gravibus culpis te hætenus obstrinxisti? Nec tamen propterea avernali carcere inclusus teneris. Quot inter flagitia priores vitæ annos

Magda-

Magdalena, Pelagia, Bonifacius, Augustinus, Gulielmus Aquitanus duxere? Et tamen cælesti gloria nunc fruuntur, atque æternum fruuntur. Quod ergo & ipsis, quantum ad omnes vitæ suæ noxas, & tibi quantum ad omnes huc usque commissas evenit; idem quo ad hanc quoque eveniet, cujus committendæ nunc se præbet occasio. Cupiditati tuæ per eam satisfacies, nihilque negotii erit, quin per sacram exomologesim certissimum, nullique non paratum remediū æternæ tuæ salutis prospicias. At, inquires, fieri potest, ut mors inopinatè ingruens omne mihi adhibendæ hujus opis tempus præripiat. Fateor, sed rarissima hæc sunt mortis subitæ exempla: neque ullum indicium, imò nulla indicii umbra in te nunc apparet, unde ejusmodi quidpiam tibi eventurum suspicari prudenter queas. Cur ergo ob remota incertissimorum, & merè possibilium casuum terriculamenta præsentis jucundissimæ hujus voluptatis pabulo tuum velis genium fraudare? Hæc sunt antiqui hostis fraudes ad eos circumveniendos, qui nihil in criminibus, nisi æternam pœnam perhorrescunt: & hoc subdolo, *nequaquam moriemini*, sicut primam olim parentem, sic innumeros ex ejusdem nepotibus quotidie ad

peccandum inducit. Tam facilè persuaderi sibi homines sinunt, pravas suas libidines se impunè expleturos, tamque parùm refranantur à sceleribus metu supplicii, nisi hoc non solùm grave, sed & proximum, ac certum sit. *Cùm sit periculum in nullo mendacio majus; ( licet huc quoque Plinii verba, & sensus transferre) non tamen illud intuemur. Adeò blanda est sperandi pro se cuique dulcedo. (L. 29. c. 1.)*

8. Nec parùm ad eandem veritatem persuadendam aliæ duæ rationes valent. Prima est, quia, ut arcu imbecillo feriatur scopus, altius destinato collimare opus est: quique omisâ curâ leviores culpas vitandi, exercendi se in operibus bonis, & corpus castigandi, animique cupiditates cohibendi, nihil aliud studet, quàm se integrum à capitalibus noxis fervare; nè illuc quidem pertingit, ut integritatem hanc omnino, & ubique assequatur: carens quippe efficacibus, imò etiam necessariis ad eam consequendam subsidiis, qualia sunt venialium culparum fuga, frequens bonorum actuum usus, & cupiditatum, sensuumque coërcitio; sequitur, averni timorem, qui non nisi ad gravia vitanda peccata incitare homines solet, plerumque non sufficere, ut prædictus finis vel omnino, vel tam facilè obtineatur,

atur, quàm consuevit obtineri per amorem  
 divinum: qui, cum propositum sibi habeat,  
 non modò sartam tectam tueri, verùm etiam  
 augere, & confirmare amicitiam cum DEO,  
 nec præcepta duntaxat implere, sed ad confi-  
 liorum quoque observantiam sedulò incum-  
 bere, neque solùm ab anima peccatum exclu-  
 dere, sed quidquid præterea affine peccato  
 est, indè amoliri, & quidquid eidem contra-  
 rium, illuc inducere; nemini non apparet,  
 quantò & tutiores ab illo, & in DEI gratia sta-  
 biliores nos reddat. Altera ratio est, quia,  
 quia DEI amore ad ejus præcepta servanda  
 impellitur, non tantùm illa accuratè, & fide-  
 liter, verùm etiam jucundè, & libenti animo  
 servat. Quæ est illa externi operis, offici-  
 que veluti appendix, quam ipso opere chari-  
 orem se habere profitetur. Cicero ad amicum  
 scribens: (L. 13. Ep. Famil.) *Priùs velim, tibi  
 persuadeas, ut hoc meâ causâ libenter facias, quàm  
 ut facias; & cujus pretium majore adhuc em-  
 phasi D. Paulus expressit, laudans Corinthi-  
 os, quòd non solùm facere, sed etiam velle cœ-  
 pissent. (2. ad Cor. c. 8.)* At contrà, qui ex me-  
 ro timore obtemperat, sæpe solùm facit, sed  
 non etiam vult, implens quidem re ipsa, quæ  
 præcipiuntur, sed coactus, animoque relu-

ctanti, & invito. Qui propterea, nedum facilem divinæ legis observantiam experitur; sed in periculo est, nè tum ipsam, tum ipsius Conditorum odisse aliquando incipiat: mancipii more ad triremes damnati, quod, cum non nisi per vim remiget; non suum modò remigandi laborem, sed eum pariter, à quo ità laborare intentatis verberibus cogitur, odio habet, dirisque, & execrationibus devovet. Unde fit porrò, ut multi ex istiusmodi hominibus vel in ultimum tandem totius iniquitatis barathrũ, atheismum videlicet ruant. Pertæsi enim molestissimam illam continuationem violenter, & contra voluntatem suam operandi, conantur omni arte, atque studio Dei timorem, à quo sibi ea vis infertur, in se ipsis extinguere; cùmque videant, nullo pacto extinguere illum posse, quamdiu certa esse credant sempiternæ mortis supplicia, quæ DEUS suas leges violantibus comminatur, curas omnes convertunt ad excutiendam ex animo importunam huiusmodi fidem: nunquam desinentes contraria ipsi argumenta indagare, quoad affectu, ut fieri mos est, iudicium corrumpente, sacrilegi demum voti compotes fiant. Exemplo sit Lucretius, non aliunde magis inductus ad rejiciendam in poëticas fabulas ultricem

cem Deorum justitiam, quàm quòd ejus fides, ac timor duro nimis, violentòque servitio humanarum appetitionum libertatem coërceat: ceu tum alia Philosophiæ naturalis ab eo editæ loca testantur; tum præsertim ii versus, quibus tam acriter æternos averni cruciatus impugnat, exclamans: (L. 3.) *Et metus ille feras præceps acherontis agendas, funditus humanam vitam qui turbat ab imo, Omnia perfundens mortis nigrore, neque ullam esse voluptatem liquidam, puramque relinquit. Æternas quoniam pœnas in morte timendum.* Ità ille extra sifarium, & verbis rotundis, quando nempe nullum stabat contra impios sacrorum Quæditorum tribunal. Nec dissimulantiùs nostris etiam temporibus loquerentur complures, si tam fabulosas possent credere humanæ, quàm divinæ credunt pœnas justitiæ. Qui nunc non audentes palàm evomere intestinum perfidiæ suæ virus, antiquo illi Epicureo sæculo libertatem tacitè invident, magis quidem eo tecti, sed non minùs impii.

9. Cùm itaque rationes à DEI amore desumptæ, præter nobilitatis exuperantiam majorem quoque habeant vim nos movendi ad odium, & fugam peccati, quàm quæ à timore inferorum petuntur; quidni eas potissimùm,

& Confessarii accedentibus ad pœnitentiæ tribunal, & sacri Oratores promiscuæ multitudini inculcent; sed contrà quasi DEUS vel nusquam esset, vel non sufficeret ad humanas voluntates movendas, nihil aliud Evangelicæ doctrinæ præcones audiuntur sonare, nisi tartarum, nisi diabolos, nisi æterna supplicia? Ah non hujus mentis, sententiæque erat studiosissimus humanæ salutis, & divinæ gloriæ administer, Ignatius Loyola: quin potius & iis, quos Romanus Pontifex, tanquam Apostolicæ Sedis Theologos, ad Concilium Tridentinum mittebat, enixè commendavit, ut tam publicis, quàm privatis sermonibus excitare omnes ad sanctissimum DEI amorem studerent; & in tradenda rudibus Christiana doctrina dissertationes singulas hac solebat parænesi claudere; *Amate DEUM toto corde, tota anima, tota voluntate*: iterum, iterumque illam repetens tanto cum animi ardore, ut non tam verba, quàm flammæ promere videretur: tantòque per eam motus in suis auditoribus ciebat, ut videre pluries fuerit, gravium criminum reos indè actutum ad pedes Sacerdotum procurrere, suaque ibi flagitia inter lacrymas, & singultus vocem crebrò intercludentes deponere. (*Nolar. Comp. Vit. c. 19.*)

& Bart. Inst. L. 4. n. 28.) Neque hujusmodi  
 solum terroribus, tanquam unico, & præci-  
 puo argumento agebat Gentium Doctor Pau-  
 lus cum fidelibus nuper Romæ ad Christum  
 conversis: imò eos hortabatur, ut, quemad-  
 modum nullius mali timore, sed sola bono-  
 rum sensibilibus cupiditate ad peccandum im-  
 pulsi olim fuerant; sic divina nunc præcepta  
 ex eorum potius amore, quàm ullius pœnæ  
 metu fervarent. In prædicto siquidem sensu  
 D. Augustinus illa accipit ejus verba: (*Ad  
 Rom. c. 6.*) *Sicut exhibuistis membra vestra ser-  
 vire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem;*  
*itâ nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in  
 sanctificationem:* hanc illis declarationem sub-  
 texens, (*Ep. 144. ad Anast.*) *Quid est sicut il-  
 lud, itâ & hoc? Nisi, quemadmodum ad peccan-  
 dum nullus vos cogebat timor, sed ipsius libido, vo-  
 luptâsque peccati; sic ad justè vivendum non vos  
 supplicii metus urgeat, sed ducat delectatio, cha-  
 ritâsque justitiæ.* Quid plura? Ipsemet huma-  
 nâ salutis Assertor, & magistrorum omnium  
 Magister, Christus, tantum esse in divino a-  
 more incitamenti ad divinæ legis observanti-  
 am existimavit, ut illo, tanquam ratione per  
 se unam sufficiente ad hanc persuadendam sit  
 usus, dicens Apostolis: (*Joa. 14.*) *si diligitis  
 me,*



*me, mandata mea servate.* Quod perinde fuit, ac dicere: ut exactissimè impleatis, quidquid præcipio, nihil ultrà vel mihi proponere, vel vobis audire opus est, quàm hoc legitimum fore vestri erga me amoris specimen. Nullam hìc præmiorum, nullam pœnarum mentionem facio. Summa sermonis, & hortatùs mei est: *Si diligitis me, mandata mea servate.*

10. Ah nè, quæso, nè ità contemptim, abjectéque sentiamus de nostrarum generositate animarum, tanquam si idoneæ naturâ non essent ad nobiles concipiendos affectus, & ad operandum aliter, quàm serviliter. Sed potiùs æquiore illarum æstimatione sumpta curemus iis palàm ostendere, quàm dignus reverentiâ, & amore DEUS sit, quàmque detestabilis res, tantum Dominum gravi crimine offendere. Et porrò videre erit, quàm miram hæc objecta vel rudis vulgi animis ab improbitate revocandis vim habeant. In summa, persuasissimum mihi est, effrenem peccandi licentiam, quæ inter Christianos tam communiter viget, magna ex parte hinc proficisci, quòd sanctus DEI amor minùs justò iis inculcetur: & si ii, ad quos pertinet, studiosiùs id agerent, longè in melius revocarentur hominum mores. Nostri siquidem spiritus,  
ut

ut ut sæpe incultu, & defidiâ, ceu quadam rubigine obfiti hebescant, nunquam tamen definunt retinere in naturæ suæ penetralibus, veluti rationis lumen, sic innatam quamdam propensionem ad ea, quæ ratio, tanquam honesta approbat, & alienationem ab iis, quæ eadem tanquam turpia condemnat, quoties tum illa honestas, tum hæc turpitudine ipsorum obtutibus in bono, & convenienti lumine proponitur. Et hanc fuisse Platonis quoque mentem, ac sententiam invenio. Cùm in secundo de Republica libro sub persona Adimanti pronuntiat, non alia de causa evenire, ut injustitia pestilentis instar contagii longè adeò, latèque grassetur; nisi quòd, qui ab ea deterrere homines student, sancitas ei potius à legibus pœnas, quàm infitam à natura deformitatem commemorant. *Horùmque omnium* (en illius verba) *nulla alia est causa, nisi quia ex vobis nemo unquam injustitiam vituperavit, nisi ad pœnas respiciens, quæ inde proficiscuntur.* Ipsa verò suapte naturâ quid agat in habentis animo, nemo unquam ad sufficientiam enarravit: quòd scilicet injustitia maximum malorum sit, quotcunque animus sustinet. Si enim id ab omnibus vobis fuisset à principio dictum, & nobis ab infantia persuasum; non invicem cohiberemur, nè  
quid

*quid in alterum ageremus injustè, sed unusquisque sui ipsius custos esset, timens, nè injustè agendo maximo malo adhereret,*

II. Redeundo jam ad homines, quorum princeps studium, & cura est, divino amori operam dare, quibúsque præcedenti dispositione (licèt nec inutiliter, nec extra locum hic à nobis inserta) opus non erat; habent ipsi, ut dicebam, rationem nedum satis validam, verùm etiam quacunque alia efficaciorẽ abominandi toto animo, & fugitandi summa contentione peccatũ lethale: nimirum quòd illud gravis contemptus, & offensa DEI est, quòd initam cum eo amicitiam dissolvit, quòd debitam ei fidem abrumpit, quòd omnibus divinis illius perfectionibus adversatur. Quo enim pacto anima DEUM super omnia amans cum prædicto ejus amore conjungere intra se poterit voluntatem objecti, quod usque adeò illi contrarium, exosumque esse cernit? Nulla enim verò vi poterit: & consequenter, si sacer hic, quo succenditur, divinæ charitatis fervor, ita ut nunc est, actu præsens, & vividus in ea semper duraret, peccandi omnino impos esset. Sed profectò hujusmodi constantia, & permansio à nemine, quamdiu vivit in terris, potest sibi adeò certo

tò promitti. Quippe insitum à natura homi-  
niest, in dies, atque horas mutari, ut, qui in-  
victo jam animi robore communitus omnes  
terrenorum, infernorumque hostium vires  
provocabat ad faciendum sui erga DEUM  
amoris periculum, clamans cum Apostolo:  
(Ad Rom. c. 8.) *Certus sum, quia neque mors,*  
*neque vita, neque Angeli, neque Principatus, ne-*  
*que Virtutes, neque instantia, neque futura, ne-*  
*que fortitudo, neque altitudo, neque profundum,*  
*neque creatura alia poterit nos separare à charita-*  
*te DEI;* paulò post per arcanam, & incanta-  
tioni similem vim illecebrosi alicujus objecti,  
quod vel ipse oculis hauserit, vel malus orci  
genius in ipsius imaginatione depinxerit, re-  
pentè immutatus vix agnoscat se ipsum, vix  
pristinæ generositatis suæ meminerit, vix con-  
fusam eorum sensuum speciem retineat, qui  
modò intra suam mentem adeò expressi vige-  
bant, auditurque suspirans repetere: *Video a-*  
*liam legem in membris meis, repugnantem legi men-*  
*tis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Nus-  
quam ergo est in terris charitas tam seraphica,  
ut certam habeat ardoris sui perpetuitatem.  
Nusquam voluntas tam firma, ut labefactari  
nequeat. Nusquam anima tam penitus Deo  
conjuncta, quin assiduè periclitetur ab eo se-  
pa-

pa-

parari. *Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem. (Job. c. 4.)* Quamobrem verus, & prudens DEI amor flagrantis suo igne animas incitat, non modò ut fixum, deliberatùmque habeant, quidvis citiùs pati, quàm suum Dominum gravi crimine offendere; sed ut insuper contra omnia tam invisi facinoris consciscendi pericula, quantum fieri potest, se muniant, nihilque sollicitudinis, & industriæ prætermittant, quod sibi ad illud certiùs vitandum adjumento esse possit: illud ipsis continenter ingeminans Apostoli monitum. (1. ad Cor. c. 9.) *Qui se existimat stare, videat, nè cadat.* Qua de re, ceu quæ summi est momenti, neque cursim solummodo perstringenda, accuratiùs, & per otium in sequenti capite agemus.

